

/ Illustrissime Domine

Credo perlatas jam esse, redditasque litteras meas de annis Alexandri Pontificis; quales festinanti tabellario dare tunc per temporis angustias licebat in re subobscura. Sed solet, ut audio, vestra  
5 illustrissima Dominatio mea qualiacunque excusare tuerique, pro sua nempe singulari modestia, et pristina erga servum et indignum discipulum benevolentia. Accepi a Reverendo nostro Generali illas quas Illustrissima D.V. vidit notas in posteriorem Chronologiae tomum, et quas datas esse oportet a censore, aut parum versato in re Chronolo-  
10 gica, aut qui noluit vel non potuit assequi quae a me dicta sunt, quantumvis oratio mihi non soleat esse obscura. Sunt sanè quaecunque profert vel parum probabilia quando sua dat; vel falsa, et interdum non absunt a calumnia, quando mea confutat. Talia sunt, ut universè dicam, quaecunque affirmat in illo tomo esse contra communem  
15 veterum opinionem, contra traditionem solidam Ecclesiae, aut contra Scripturas. Si certe benevolè, et solo veritatis studio impulsus nostra legisset, facile ei fuisset observare nihil a me dictum, quod (quantum, ex omni parte, rei incertitudo patiebatur,) non esset ex his erutum principiis, et confirmatum. Et quot in me edidit antilo-  
20 gias, tot ille in seipsum et quidem valde pueriles excogitavit; quibus probaret se imperitum, et malae fidei censorem extitisse. Atque ut ab eo quod caput est incipiam, debet ille priorem tomum (nisi fortè rei difficultate superatus inde abstinuit) accuratè legisse, observando quàm firmis nixa praesidiis antiquitatis et Scripturarum  
25 locata ibi sint initia Olympiadum, Paliliorum principatus, Cyri, Alexandri, et similium, unde verior omnis Chronologia producenda est. Deinde observare debuit quo et quam solido vinculo, his initiis, quae posteriora ad nos usque sunt, cohaereant. Alioqui si, non refutatis illis fundamentis, et consecutionis qua res inde deducuntur nulla  
30 habita ratione, venit solum ad conclusionem Chronologicam, ex aliis sed falsis principiis infirmandam; quis non videt ex falsis se-

/ qui falsum, et apparenter infirmari veram conclusionem. Et quidem quae sint haec falsa aut incerta fundamenta ex quibus censor iste argumentatur, satis ostendi in proëmio utriusque tomi contra Scaligerum, Jam verò cum idem colligit (ut de singulis aliquid attingam)

5 illud quod definitio de baptismo, esse contra traditionem ecclesiae, falsum quod colligit ipsi censori videbitur, si suam vocem et quid sit vera traditio intelligit. Praeterea agens de die Passionis, quando componit ex mea (ut putat) sententia, Aprilis primum, et Martii ultimum, cum quarta et sexta feriis; hoc non infert ex ullo principio

10 solido, nisi jurare velit cum Scaligero in legem feriarum et N<sup>o</sup>em<sup>o</sup>eniarum. In quo fundamento si pertinax esse vult, aequè inde sequetur Christi passionem incidisse in annum 30 aut 36, quod tamen censor iste tantopere fugrefugit. Nihil ergo profert novi, et quod non aequè valeat ad improbandum Passionis annum trigesimum quartum jam

15 receptissimum. Petere etiam debuit eodem argumento doctissimos nostrae Societatis Patres, qui si creditur huic argumento, et tabulis, dum agunt de tempore Passionis, errasse putabuntur. Quod satis ostendi tom. 2. c. 4 sub finem. Ubi ea ad firmandam receptam de Passionis tempore sententiam subjeci, quae modesto censori satisfacere potuissent. Sed addit insuper pro sua modèstia calumnias, dum ex mea

20 (ut ille vult) opinione, componit simulque jungit, censum Judaeorum, primum Procuratorem Judaeae, et Christi annum decimum; ubi porro ejusdem animi, aut certè inscitiae argumentum est, quod addit de Archelai exilio, et annis Herodis: uti loca in quibus haec a me tractata

25 sunt; apertissime demonstrant. Decepit fortè censorem hunc quae ego c. 1 tom. 2. recenseo ex aliorum opinionibus de annis Herodis. Sed neque inde (nisi puerili more fallatur,) nec ex locis quibus rem tracto ex professo, quicquam reperiet quod antilogiam sapiat, aut falsum sit. Ineptè insuper est deceptus, confundens varias Judaeae descrip-

30 tiones, nec unquam est assecutus, quae ego apertè de Procuratoribus Judaeae protuli ex aliorum sententia. Expendat iterum si potest,



/ quae c.1 Apparatus c.2.et anno decimo sexto recensui. Spectat etiam ad calumniarum seriem, quod censor non semel, sed passim, aliquid aut de suo addat; aut, quod ego ex aliorum refero opinione: ut inde fabellam suam lepidè sanè, sed falsò adornaret. Tale est quod addit  
5 pag.2 tres ex mea sententia datos ab Augusto Procuratores. Ridebit ad hoc, aut indignabitur qui leget quae scripsi ad annum 16. An non etiam ad annum Christi 63. rectè a me proferuntur testes martyrii Jacobi, Hieronymus et Eusebius? Quod verò, praeter aliam mortis causam, non accesserint etiam lapides, cùm ab aliquibus id graviter asseratur,  
10 tur, quis probabit? Rem demum gratam censor fecisset, si clarè probasset nulli tunc Pontifici nomen fuisse Adriani, vel (si scriptoris vitium est) Ammiani. Nihil quoque frequentius est, quàm ut ex annorum fractionibus fallatur; aut certè fallere velim, adeò post apertas calumnias suspecta mihi est censoris fides. Sic ille de annis  
15 Apostolorum pag.2, et ferè in reliquis notis sibi blanditur; prolixior ne sim aut molestus V.D.Illustrissimae, paratus alioqui ad amplam, si opus est, notarum et censoris reprehensionem. Interim si quid orando aut solitis sacrificiis pro V.Ill.D. incolumitate oblati, impetrare a Deo poter; nunquam animus ad obtinendum id deerit,  
20 nec aut memoria. Datum Pictavii 18. Februarii 1615.

V.Ill/mae D. indignus in Christo servus

Ja.Gordonus

(adresse):

+

Illustrissimo Dominò, Domino Cardinali Bellarmino. (cach.)

---

25 München.Reichsarchiv.Jesuitica in genere.Fasc.19.M.326. Orig.autogr